



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

714. An rata & firma sit resignatio facta, postquam quis beneficio suo spoliatus est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Spol. Fitque restitutio, etsi jam alteri facta collatio. Paris. n. 37. citans Rebuff. in pr. tit. de renunc. vi facta. num. 2. qui etiam id limitat, nisi vis esset illata à Judice de causa cognoscente.

Quaestio 713. In specie, an censetur vim passus in resignatione beneficii, qui resignat, seu cedit beneficio suo propter vexationes, quibus gravabatur ab Episcopo?

Respondet affirmativè Azor. cit. q. 6. in fine. Paris. cit. q. 4. n. 38. citans Gemin. & Præposit. in c. quam periculosum. 7. q. 1. ac dicens communem; censet tamen Paris. num. 39. citatò pro hoc Sarn. de infirm. resign. q. 10. c. ult. Majol. de irregul. l. 3. c. 6. nu. 9. posse in hoc casu repeti beneficium, si calore iracundiæ motus id resignavit.

Quaestio 714. An rata & firma sit renuntiatio facta, postquam quis beneficio suo spoliatus est?

Respondeo: Talem resignationem esse nullam in hoc sensu, quòd veniat rescindenda, & spoliato dari, seu dandam restitutionem in integrum. Castrop. cit. §. 5. nu. 6. Azor. cit. c. 26. q. 7. Paris. l. 13. q. 5. n. 1. citans quamplurimos juxta c. sollicitè, de restit. spol. Idque ob præsumptionem coactionis, dum, ut dicitur cit. c. sollicitè, verisimile non est, quòd sponte juri suo renunciavit, qui renunciavit spoliatus. A. A. iidem. atque Paris. loc. cit. n. 3. juxta gl. in cit. c. sollicitè. v. quia, hanc esse præsumptionem juris, contra quam non admittitur probatio: qui etiam pro confirmatione responsonis n. 8. illud adducit, quòd in spolio ferè semper adfit vis & metus. Quin etiam procedit responso in resignatione facta cum juramento, ita ut eo non obstante, possit ac debeat talis restitui. Paris. loc. cit. nu. 16. citans Berojum, in cit. c. sollicitè. n. 1. & ibi communiter alios; juramentum enim tale præsumitur præstitum, & extortum vi, metu, dolo, cum sequatur naturam actus, super quo interponitur. Paris. n. 18. citans quampl. Porro spoliatus, cum retineat proprietatem, non autem possessionem, quippe quò spoliatus est. Paris. n. 6. per hujusmodi resignationem resignatur proprietatem, non verò possessio; cum nemo dare possit, quod non habet. Paris. ibid. actionem verò spoli nuncquam intelligi cessam, nisi expressè dicatur. Paris. n. 15. Limitationum variarum loco deservient responsones ad plures quaestiones sequentes.

Quaestio 715. Quenam, & qualiter probare teneatur resignans post spoliationem, ut possit restitui?

1. **R**espondeo primò: Debere probare duo, nimirum se possedisse, cum spoliaretur, & jus saltem coloratum habuisse in illo beneficio. Castrop. Azor. l. cit. Paris. cit. q. 5. à nu. 86. per plures n. seg. Ratio prioris est, quòd qui possidet rem, eà spoliatus dici nequeat juxta vulgarem regulam. Paris. nu. 88. ex Menoch. in prælud. recap. poss. n. 1. siquidem privatio supponit habitum. l. decem. §. de æm. ff. de verb. oblig. Paris. n. 89. Ratio secundi est, quòd, licet in profanis sufficiat sola probatio possessionis, in quibus etiam prædo est restituendus, in c. in literis, de restit. spoliat. Paris. n. 95. in beneficialibus tamen non sufficit, utpote in quibus exactior probatio requiritur. Paris. n. 96. citans Ro-

tam decis. 20. de restit. spol. in antiq. & Innoc. in c. constitutus. de filiis presbyr. cum in his prohibeatur vitiosus ingressus, juxta c. 1. de mirt. in possess. Paris. n. 96. Unde jam, licet possessio inferat præsumptum titulum, c. si à sede. de præb. in 6. non tamen ex sola probatione possessionis in beneficialibus oriretur effectus restitutionis in spolio; cum ad beneficium restitui non queat carens canonicà institutione, quæ ex stylo saltem deducenda est ex coloratione justì ingressus, Paris. nu. 98. 99. & 100. citans plures textus, & A. A. & sic in beneficialibus spoliatus debet possessionis suæ titulum justificare. Paris. n. 101. citatis etiam pro hoc quampl.

2. Respondeo secundò: Sive contra tertium, sive contra ipsum resignatarium resignans agat spolio, duram proxis esse illi provinciam potissimum in firmando primo extremo, nempe possessione beneficii ab eo habità, ait Lott. l. 3. q. 14. nu. 96. ed quòd, ut addit, concludentes, & plena exigantur probationes, propter naturam istius possessionis, quod, licet summarii sit processus, sit tamen maximi præjudicii, atque hanc esse communem, ut Menoch. de remed. recap. poss. remed. 15. nu. 408. & 413. & quam Rota sit perpetuò amplexa apud Verall. decis. 328. nu. 6. & 7. p. 2. Quin & præter rigorem hunc in probando primo extremo facillime resignanti obstituram spontaneam possessionis abdicacionem, ait Lott. ibid. nu. 111. juxta Rotam decis. 2. de rer. permut. in novis, Et quidem, si dirigatur actio contra tertium, extra dubium est, debere fieri tunc articulos, & super illos testes examinari, qui bene concludant, ait Lott. nu. 97. Si verò agatur contra ipsummet resignatarium eodem modo exigitur probatio. Lott. n. 100. Neque ad hoc extremum possessionis probandum confessio resignatarii, præsertim non geminata de possessione resignantis opitulabitur multum, si attendatur simplex factum resignationis; cum possit quis resignare jus, quod habet absque eo, quòd sit in possessione illius, adeoque ex actu resignationis inferri nequeat ad talem possessionem. Lott. n. 100. & 101. Sed & ob eandem rationem enunciatio ipsiusmet resignantis de propria possessione non attenditur. Lott. num. 102. Atque ita hæc in re simultanea confessio, nempe facta à resignatario, & resignante argumentum de nihilo inferri; quia enunciatio circa non necessaria ad actum non probat, etiam inter ipsos enunciantes. Lott. n. 103. & 104. Quamvis ita simultanea confessio serviat ad probationem alterius extremi, nempe tituli colorati. De quo mox.

3. Respondeo tertio: Non tamen exigitur exacta probatio veri tituli, sed forma quædam extrinseca seu facie valida, & sic possessionem primam ex aliquo colore justificare, Paris. l. 13. q. 5. nu. 102. citans Menoch. de recap. poss. remed. 15. nu. 463. Imol. in c. ex parte. de restit. spol. Bellam. decis. 455. Lap. Gemin. & c. Probatur autem hic color ad effectum restitutionis super spolio in beneficialibus, Primò, si probetur spoliatum habuisse ab eo beneficium, qui habebat auctoritatem instituendi, Paris. n. 103. citans Innoc. & Butr. in c. in literis, Jo-And. in addit. ad speculator. in rub. de restit. spol. & plures Rotæ decis. Neque requiritur, ut spoliatus ostendat literas. Paris. 105. citans Cassad. decis. 8. num. 1. de restit. spol. Sed probatur etiam ex sola supplicatione signata. Paris. n. 106. citans Sarn. in reg. de non judicando q. 5. Mohed. decis. 306. & c. Secundò probatur iste color ex confessione licet obiter